

**THEORICORVM PRÆCEPTORVM**  
*propositio trigesima.*

Forma jurisdictionis consistit in legitimo ejus exercitio, de <sup>Forma & finis juris-</sup>  
 quo vide Welenbec. *in paratit. ff. h. tit. num. 12.* Finis vero, ut so-  
 cietas humana & in ea religio, pax & tranquillitas conserve-  
 tur, l. 4. C. desum. *Trin. l. 13. ff de offic. praefect.* item ut lites finian-  
 tur, & reddatur unicuique, quod suum est.

**PRACTICORVM OPINIO.**

Si generalius inspiceremus finem, non tam jurisdictionis,  
 quam totius juris est, ut suum jus unicuique tribuatur. Ve-  
 rum quatenus hic agimus de administratione juris: non ma-  
 le huc accommodari posse videtur, magis specialiter, quod  
 alias universo juri competere videbatur. Et licet præscriptio-  
 nes finiendarum litium causa sint inventæ, non tamen de illis  
 æquè prædicari potest id, quod de jurisdictione, prima facie  
 videre appareat.

**THEORICORVM PRÆCEPTORVM**  
*propositio trigesima prima.*

Effectus jurisdictionis olim erat judicium pœnale, de quo  
 in l. 7. & seqquentib. h. tit. Hodie actionem confessoriam & ne-  
 gatoriam producit, quam defendit, Welenb. *in paratit. ff. hoc*  
*tit. num. 13. & Dd. ad § aequè, Instit. de action. contra quos dispu-*  
*tat Vaud. lib. 2. quest. 23.* In Imperio Romano est constitutio  
 pacis publicæ, quam fregisse dicuntur illi, qui alios de facto in  
 sua jurisdictione & imperio perturbant. Vide Geil. *de pace*  
*public. Anno 1495. primum promulgata, & Anno 1555. repe-*  
*tita.*